

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Menippus sive dialogorum satyricorum centuria  
inanitatum nostratum speculum**

**Andreä, Johann Valentin**

**Cosmopoli [i.e. Straßburg], 1618**

69. Atheismvs

[urn:nbn:de:bsz:31-107424](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-107424)

## 69. ATHEISMVS.

A. **C**oncurrите cives. B. Quis clamitat? A. O cives cives, aquam. B. Adsum; quo currimus? A. Patria conflagrat. B. Vbi flamma ubi fumus, ubi odor? A. Vah atheifinus regnat, ecce flamma: Literæ consentiunt ecce fumus: Iuventus assuefit, ecce odor. B. Semper tu tibi similis, id est ineptiens; quis jam convocatos remitteret? A. Papè! quasi vero sint qui Patriæ incendio tangantur, ineptule. B. Sattius fuisset domi manere, quam increpari. A. At tu jam sculam mihi tuam porrige, nec enim quia ignavi alij sunt, & nos stupefcemus. B. Prius tibi caput madefiat, quod vanitate ardet, quis enim credat in ipsissimo Ecclesiæ diversorio, virtutum theatro, literarum domicilio, humanitatis territorio, elegantiarum hortulo, non regnare dicam, sed latere posse Atheismum? A. Quid ibi ne, ubi consuetudo litat, fastus imperat, nugæ docent, insidiæ alunt, infamia commendat? Ibi ne? ubi Hypocrita orat, Leno format, Fatuus erudit, Latro amat, Simia comit? Ibinè? ubi Biblia adulantur, Justinianus sævit, Aristoteles ebrius, Timon legislator, & Diogenes architectus est. Ibinè? ubi suggestum fuget, tribunal rubet, pulpitum sordet, domus fumigat, fucus pingit. B. Anigmataloqueris, & hoc amplius aque immergendus es, ne plane cum illa tua fictitia patria conflagres. A. O vtinam fictitia illa foret, aut in pariete nebula depicta, quantum enim

pietas, integritas, eruditio, hospitalitas, decorumque apud nos remiserint, non fecte, sed serio ac solide experimur, expertique deploramus, quis enim sine lachrymis vel patrum saltem nostrorum aetatem repetat. quæ & Sathanæ, & sectariis, & hostibus, & magis, & usurariis, & blasphemis, & adulteris, & mollibus, & otiosis, & sycophantis, & histrionibus, & exoticis fuit formidini, dum singula hæc nunc apud nos libera commercia habent, & palam inquinamenta sua Patriæ invehunt, invehunt inquam & magno venundant. B Interim nobis emere liberum est. A. Quasi vero tantæ sit difficultatis iuventutem & simpliciores corrumpere? quasi tantulum bonos maiorum licentia offendere? quasi inanis illa regula, Cavendum ne quisquis peccare possit? B. Mirabor nisi a quo citius canesces. A. Per me licet rideas, ego tamen insanum credam, qui delectetur naviculæ rimis, & aquæ lento influxu, cum sciat se paulo post eum ea demergendum.

## 70. VERITAS.

A. V Eritatis oratio simplex. B. Imò verius multiplex, communi contra communem sententia. A. Ecquis credat regulam rectam, aliam quam rectam lineam facere, aut circumum aliam quam curvam, aut libellam aliam quam perpendicularem? Idem de veritate iudicium, quæ vera semper est ac vno modo. B. Hoc postremum durius dictum est; nam quis nescit eadem